





19

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS,  
DE  
**ACTIONE FVNERARIA,**

LINGVA VERNACVL<sup>A</sup>:

Von denen Leich- Bestattungs- Kosten / wer solche abzu-  
tragen verbunden.


PRAESIDE PRORECTOR<sup>E</sup> MAGNIFICO  
**IO. PHILIPPO SLEVOGTIO, D.**  
IVRISQUE ET CIVIL. PRVD. PROF. PVBL. ORD.  
VT SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC  
PRIVILEGIA RITE CONSEQVATVR

PVBLICE DISPVTABIT

**IO. NICOLAUS RADEMACHERVS,**  
SOLTQVELLA - MARCHICVS,  
AD D. MARTII M DC XC.



IENAE,  
REC. PER IO. BERNH. HELLERYM, 1744.





I. N. D. N. I. C.

## PROOEMIVM.

**I**ransiverat ex morsu fructus vetiti venenum illud lethale per primos parentes in omnem ipsorum posteritatem, & sanctio transgressioni legis annexa tanto cum rigore vires exercuerat in universum genus humanum, ut, quisquis ex Adamo ortum traxit, poena succumberet. Hinc idem omnium fatum & commune malum naturae humanae. Postquam vero probrosum videbatur & præstantia corporis humani indignum, arcana naturæ post mortem omnibus conspicua exponi; hinc viventium ab omni avaro cura fuit, hoc, quantum fieriposset, prohibere. Inde mortuorum sepultura in Ius Gentium commune transiit cum tali sanctimonia, ut & hostibus & inimicis sepulturam invidere,

A 2

& im-

& impium, & naturae dedecus fieri semper visum fu-  
 erit. Sane funeris & sepulturæ habere rationem,  
 nec barbare eam cum Anaxagora, cui jactura sepul-  
 chri facilis, negligere, non tam Christianum quam  
 humanum est. Solvimus hoc modo sponte debitum,  
 quod alioquin ab invitis repetit natura, & que ter-  
 ra nos nascentes exceptit, novissime gremio suo com-  
 plexa, à reliqua natura abdicatos quasi operimento  
 matris obducit. Quid? quod resurrectionis spem  
 à primis parentibus hoc veluti monumento posteris  
 consignatam putent. Conf. Grot. l. 2. c. 19. d. Jur.  
 bell. & pac. Cœterum non idem exequiarum mo-  
 dus fuit apud omnes gentes, nec idem funeris & hu-  
 mationis ritus; nec sumtuum ratio semper habita-  
 fuit; qui sœpe in tantum excreverunt, ut in mira-  
 cula abirent. Scil. cum se omnino morituros per-  
 noscerent mortales, ex lapidibus aliisve monumen-  
 tis immortalitatem expectabant. Fuit tamen his  
 sumtibus per Leges Civiles modus positus, ut profusio  
 nimia & inutilis coerceretur, tam jure Gracorum,  
 vid. Garf. de expens. & meliorat. c. 8. n. 8. quam a-  
 pud Romanos. Sic de sumtibus funeris l. XII. Tab.  
 provisum erat, quam legem una cum explicacione,  
 vid. licet apud Garf. l. alleg. n. 10. Nec vero saltem  
 in modo funerandi Lex Civilis acquievit, sed circa  
 funeralia

funera, ut, eo citius mortuorum corpora terra red-  
 derentur, curam & humanitatem declaravit. Et  
 quanquam Lex XII. Tab. perfidi debitoris cadaver  
 creditoribus lacerandum exhibebat, ut late explicat  
 Gell. Not. Attic. l. 12. c. 1. tamen hæc legis crudelitas  
 nunquam effectum sortita est, & sequentium tempo-  
 rum humanitas hunc rigorem mitigavit, ne dicam  
 vetuit. Sic divus Severus edicto mandavit, ne cor-  
 pora detinerentur l. 3. §. 4. ff. de sepulch. viol. Hinc  
 Ulpianus ait in l. 38. ff. d. religios. ne corpora aut  
 ossa mortuorum detinerentur &c. præsidis offici-  
 um est. Crevit successu temporis pietas Imperato-  
 rum, & Justinus severa sanctione prohibuit, ne de-  
 functi sepultura prætextu debiti impediatur. l. 6. C.  
 d. sepult. violat. Renovavit legem Justinianus No-  
 vell. 60. c. 1. additis novis poenis. Ipse custos equi-  
 talis legem civilem, utipasim, ita in hoc casu adju-  
 vit & supplevit. Docent hoc edicta de mortuo in-  
 ferendo l. 1. pr. ff. d. mort. infer. Et de sepulchro  
 ædificand. d. l. 1. §. 5. Singularis Prætoris humani-  
 tas conspicua est in Edicto, quo dando judicium de re-  
 cuperationis funeralis sumtibus omnes invitavit, ut eo  
 facilius justa defunctis facerent l. 12. §. 2. de religios.  
 & sumt. funeral. Hoc Prætoris Edictum ob varias ra-  
 tiones placuit ut materiam suppeditaret conscriben-

de dissertationis Inauguralis, cum ejus rei licentiam  
 Inclita Facultas Juridica gratiōe mibi indulgeret.  
 Una cum gratia Divina rem ipsam aggressus sum,  
 subsidia ex variis libris, in quantum eorum copia  
 haberet potuit, accepi; Fabri Rationalibus sœpius u-  
 sus sum, rarioer enim apud alios autores hujus rei  
 tractatio occurrit, methodum communem obserta-  
 vi, & pro ingenii viribus, & temporis ratione, labo-  
 rem cum DEO absolvī. Si nunc quid in hac dis-  
 sertatione continetur, quod Tibi placuerit, gratum  
 mibierit, si minus, memor esto, rationem indebiti  
 qualemcumque solutionem admittere. Vale & fave!



## §. I.

**A**ctionem funerariam (quæ passim in tit.  
 ff. de relig. & sumt. fun. funeralitia, à  
 Cujacio aliquando funeralis appellatur. Faber in Rational. ad l. 12. §. 2. ff.  
 d. rectius quam exequiarum, cum ea ipsa totam  
 sepulturæ rationem, non exequiarum duntaxat,  
 ut quo nomine tantum venit viarum solennitas  
 dum funus procedit, complectatur, Oldendorpius  
 cl. 5. act. 17. in pr. de actionibus.) Prætor introdu-  
 xit;

xit, ut haberent remedium Juris, quo suum consequerentur, qui in funus alienum aliquid impen- derunt. Sic ait Prætor in l. 12. §. 2. ff. de Relig. & sumt. fun. quodfuneris causa sumitus factus erit, ejus recuperandi nomine in eum, ad quem ea res pertinet, judicium dabo. Evidem videri poterat, non esse dandam actionem, cum sibi imputare debeat, quisquis impedit, ut non improbabiliter videatur impensam donasse, cum donari videatur id, quod nullo jure cogente conceditur l. 81. de R. f. l. 29. de donat. Major tamen fuit habita ratio hu- manitatis, ut invitarentur homines ad impensam funeris faciendam, quam nemo faceret, denegata actione, atque hoc modo corpora insepulta jace- rent. Sane quæ ratio fuit, ut prætor edicto nego- torum gestorum actionem polliceretur l. 1. ff. de negat. gest. eadem & in nostro casu conspicua est, eo que major, quod non privatum saltem sed pub- licum, imo ipsius humanitatis officium hic ver- setur.

§. II. Cœterum necessaria fuit hæc actio, cum nulla alia competenteret (nam datur omni alia actione cessante l. 14. §. 12. ff. b. t.) non mandati, quid enim si heres incertus? si nondum adiit heredita- tem? si protestetur? Non negotiorum gesto- rum:

rum : non ratione heredis , qui fortasse adhuc  
 nullus est & plerumque defuncti ante sepeliuntur,  
 quam aliquis eis heres existit l.4. ff. b. t.) nec quo-  
 ad ipsum defunctum ; nam quamvis in l.1. ff. b. t.  
 is qui propter funus aliquid impendit , cum defun-  
 eto , cuius funus & justa fecit , contrahere ( verius  
 quasi contrahere , non secus ac qui absentis nego-  
 tia gessit l.5. pr. ff. d. O. & A.) credatur , non cum  
 herede ; revera tamen ipsius defuncti negotium  
 non est , nam vivus nemo sepelitur , & mortuus  
 nullus est : ut ita quasi contractus in ipsius persona  
 non possit subsistere , eoque magis , quod sumtus  
 funerum ad onus heredis pertineant l.14. ff. §. pen.  
 & ult. b. t. & passim . Nec facit quod actio negot.  
 gest. s̄æpe competit , quando quis post mortem  
 alicujus negotia gessit l.3. §. 6. d. negot. gest. quod  
 verum est de iis negotiis , quæ ejus cum is viveret ,  
 vel cum moreretur fuerunt , in quam veniunt ea ,  
 quæ negotiis coepitis illo vivo post mortem acces-  
 serunt , ut fœtus , partus , fructus acquisitiones ser-  
 vorum . Patet itaque actionem negot. gest. non  
 competere de negotiis quæ post mortem alicujus  
 geri cæperunt . Hinc ad exemplum ejus necesse  
 fuit ex ea causa inducere & dare propriam actio-  
 nem , quæ funeraria dicitur . Cujac. in tract. ad  
 Resp. Papin. in l.17. ff. b. t. §. III.

§. III. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, poterit constare de necessitate nostræ actionis & ejus natalibus. Causam ex qua profluit, naturam, & qualitates à Prætore datas in sequentibus commodiori loco exhibebimus. Hic saltem sufficit adiungere definitionem & divisionem: Poterit definiri, quod sit actio à Prætore ex æquo & bono data, perpetua, subsidiaria, & privilegiata, qua quis expensas funeris causa factas repetit ab eo, ad quem res illa pertinet. Distingvitur in directam & utilem. Hæc datur 1. ei, qui pupillo sive Tutoris auctoritate mandante funeravit l. 14. §. 15. ff. b. t. 2. Possessori hereditatis, qui victus non deduxit restitutionem impeniarum funeris l. 32. pr. b. 3. Ei, quivestimenta legata in funus erogavit l. ult. §. 2. ff. b. 4. Fructuario contra heredem, qui in fundum cuius utilusfructus legatus, defunctum intulit l. ult. pr. s.

§. IV. Directa competit ei, qui impensas funebras fecit l. 12. §. 2. de religios. & sumpt. fun. Sic datur Uxori pro impensis in funus Mariti, non requisitis quoque heredibus factis. Carpz. P. 1. C. 18. d. 40. Datur Marito ob impensas in funus uxoris, Cujac. tract. ad Respons. Papin. in l. 17. ff. b. t. nam impensa funerum est ex alienum dotis, l. 18 ff.

B

b. t.

b.t. cum quilibet de suo sepeliri debeat, non de a-  
lieno l. 14. §. 1. ff. b.t. Dos autem est veluti mul-  
efis patrimonium : Nec maritus de fructibus do-  
tis hoc onus solvere tenetur ; nam matrimonio  
dissoluto, onera ejus illico dissolvuntur. *Carpz. P.*  
*3. c. 25. d. 19. n. 1.* Nec impensæ funebres com-  
prehenduntur nomine alimentorum. Imo licet  
dotem non habeat, mariti tamen onus non erit.  
Potius spectat ad patrem. *l. 28. ff. b.t.* Eleganter  
*Faber add. l. Debent Parentes Liberis*, ut quos in lu-  
cern produxerunt, turbato postea mortalitatis ordi-  
ne terra reddant & sepultura tradant. Ut saltem  
in subsidium maritus obligetur, si pater non erit  
solvendo : ne injuria ejus videatur, quondam u-  
xorem ejus insepultam relinqu. Sic datur hæca-  
ctio patri *l. 30. ff. b.t.* licet ad eum dos redeat, pro-  
pter commodum repræsentationis, quod hic sub-  
esse poterit, *Faber in Rational. add. l. 30.* Datur  
liberis quatenus constat, quod animo repetendi  
sumtus fecerint, non nudo pietatis vel affectionis  
intuitu. *l. 14. §. 9. ff. b.t.* Imo & heredi funerati,  
v. gr. contra Maritum si dotem lucratur *l. ult. §. 1. ff.*  
*b.t. scil. pro rata dotis l. 16. ff. b.t.* pro rata vero he-  
reditatis, cessat a ctio, cum ipse heres eatenus tene-  
atur, *l. 22. l. 27. ff. b.t.* Demandante queritur, an ei

ei competit actio funeraria? quod aff. quod enim quis per alium facit, ipse fecisse putatur, sive ipse solvit sive adhuc debet l. 14. §. 15. ff. b. t. Nam id cuique abesse videtur, in quo obligatus est l. 28. in fin. de negot. gest. Hinc quoque conceditur ei, qui quasi negotium heredis gerens funeravit, licet ratum non habeat. l. 14. §. 16. ff. b. t. scil. si quis gerat negotium heredis futuri, non jam facti. Hoc enim calu datur actio negotiorum gestorum: quamvis & priori *Faber in Rat. ad d. l.* distingvat, an sublequatur ratihabitio heredis futuri, vel non: ut saltē modo posteriori detur funeraria, priori vero negotiorum gestorum actio.

§. V. Major difficultas est in Possessore hereditatis, & eo, qui se putat heredem, an restituta hereditate funerariam habeant? Facit pro negativa, quod non habeat repetitionem sumtuum, quos quis fecit, non ut alium obligaret, sed suo nomine l. 14. §. 1. ff. comm. divid. Qui vero putat se heredem, & defunctum funerat, potius proprium quam alienum negotium gerit. Concedunt tamen *Ulpianus in l. 14. §. 12.* Item *Paulus in l. 32. ff. b. t.* actionem funerariam non directam, propter rigorem Juris, sed utilem, non tam ob æquitatem, quam potius ob SCrum, quo consuli-

tur b. f. possessoribus, ne qua in re damno ullo afficiantur l. 25. §. consuluit ff. de hered. petit. Hinc patet, m. f. possessoris rationem non haberit, si forte sumitus funeris fecerit: quippe quos potius dominasse videtur. *Fab. in Rat. ad l. 32. ff. b. t.* Competit quoque actio Legatario rem legatam impendenti *C. A. b. th. 23.* Illud facile constat, eam transire ad heredes cæterosque successores *l. 31. §. ult. ff. b. t.* Hæc enim est ex numero rei persecutoriarum, quarum natura talis est, ut hereditibus dentur.

§. VI. Cæterum quod dictum est, funeriam actionem competere omni, qui impensas funebres fecit, hæc tenus verum est, quando quis animum repetendi habuit. Hic quidem facile presumitur in personis extraneis; neque hoc casu funerantis protestationem de animo repetendi necessariam cum Accursio existimamus. Contra quam vult *Faber in Ration. ad l. 14. §. 8. b. t.* quem, verbum oportebit non juvat, quippe quod consilium magis, quam necessitatem importet. Dantur sane gradus misericordiae, & tribuitur quidem pietati & affectioni funerantis funerari, non vero requiritur, ut suo sumtu fecerit. Ipse *Faber d. l.* facile admittit, protestationem non requiri, si poterit præsumi, sic sumitus factos esse, ut repetantur,

tur, v. g. si facti ab eo, qui bona aliena administra-  
bat. arg. l. 34. ff. de negot. gest. In personis tamen  
conjunctis omissione protestationis facile inducit  
præsumptionem pro pietate, quanquam propterea  
tui heredes, nec hereditati sele miscuisse, nec extra-  
nei eam adiisse præsumantur d. l. 14. 19. utut major  
videatur ratio pro immixtione in suo herede,  
quam in extraneo pro aditione. Nam constat  
nunquam immixtionem vel aditionem præsumi  
ex facto, quod potest fieri citra jus & nomen here-  
dis, ut ita superflua sit protestatio, quod pietatis  
gratia faciant, quæ sola sumptus erogatos non con-  
servat, late Fab. ad d. §. 19. Sic liberos, cum pa-  
rentes funerant, oportet testari, ut sumptum pos-  
sint servare. Fab. d. l. cuius rei argumentum descri-  
ptio impensæ in libro sola non est sufficiens. Mev.  
8. d. 195. nisi facta fuerit in libro, in quem inscri-  
buntur credita & debita, Idem d. l. n. 2. vel addita  
causa tali, quæ creditum constituit. Non idem  
dicendum est de uxore, quæ sumptus fecit in funus  
mariti, non requisitis desuper heredibus: quos  
repetit, licet super repetitione non fucrit protesta-  
ta. Carpz. P. 1. C. 28. D. 40. n. 3. quamvis tutius a-  
gat, si protestetur Id. d. l. Patet itaque ex supra  
dictis, non omni, qui impensas in funus fecit, hanc

actionem dari. Sic non competit, qui non animo repetendi, sed pietati & affectioni tribuens, funeravit l. 14. §. 7. ff. b. t. Non competit, quod quis aliam actionem de funeris impensa contendere habet.

§. VII. Subsidiaria est, quia eam Praetor proposuit, omni alia deficiente. Hinc qui mandato alterius funerat, funerariam non habet l. 14. §. 15. b. t. Cum huic sufficiat mandati actio, contra mandantem. Sane, si haec mandatario inutilis foret propter mandantis inopiam, utilem funerariam concedit Faber ad d. §. Sic qui in funerando defuncto habet animum gerendi negotia heredis, cessante actione funeraria habebit in heredem, cum quo quasi contrahit, actionem negotiorum gestorum, hujus enim contemplatione defuncto justa fecit. Cujac. tract. ad Respons. Papin. in l. 17. ff. de relig. & sumt. fun. quod Fab. ad d. l. 14. sitamen 16. restringit ad eum casum, quo heres iam existit: adeo, ut funerans quasi gerendo negotia futuri heredis, non subsecuta ejus ratihabitione (quae quidem tum posset producere actionem negotiorum gestorum) ad funerariam actionem configere omnino debeat.

§. VIII. Dictum hactenus fuit, quibus aetio-

Elio funeraria competit, tractandum, contra quos  
detur. De quo ita loquitur l. 14. §. ult. b. t. Datur  
actio adversus eos, ad quos funus pertinuit, ut puta  
adversus heredem, bonorum ve possessorem, ceteros-  
que successores. Hoc est sive sint heredes ex Jure  
Civili, sive à Prætore habeantur loco heredum,  
quales sunt bonorum successores l. 1. & 2. de honor.  
possess. sive sint directi, sive fideicommissarii, imo  
sufficit, quod libertatum conservandarum causa  
ex constitutione Divi Marci bona defuncti addi-  
cantur, de quo Justin. in tit. Instit. de eo, cui libert.  
caus. bon. ad. Datur contra patronum, qui bo-  
norum possessionem petit contra tabulas. l. 15. ff.  
b. t. Contra eum, ad quem dotti nomine quid  
pervenit l. 16. & seqq. b. t. Contra Dominum ob-  
impensas in funus servi vel ancillæ factas l. 31. §. 1. ff.  
b. t. Contra possessores feudi, imo contra ipsum  
feudi Dominum. Denique contra ipsum magi-  
stratum. De his omnibus & singulis in sequenti-  
bus agemus.

§. IX. In antecessum generaliter monen-  
dum, dari actionem funerariam contra omnem  
eum, cui incumbebat defuncto justa facere. Sic  
ait Prætor in l. 12. §. 2. quod funeris causa sumptus fa-  
ctus erit, ejus recuperandi nomine in eum, ad quem

ea

careret pertinet, judicium dabo. Sic loquitur l. 14. §.  
 ut : Datur autem hæc actio adversus eos, ad quos  
 funus pertinet. Et quidem nonnulli obligantur  
 principaliter, alii in subsidium. Priori casu obli-  
 gatio procedit vel ex ipsa natura ; ut in iis, qui sibi  
 proxime sanguine sunt juncti ; vel ex acquisitione  
 bonorum funerati : & vel statim ab initio ; inde  
 obligatio funerandi personam potestati dominica-  
 suppositam ; vel ex post facto : & rursus vel titu-  
 lo universalis ; hinc obligatio heredum, eorum-  
 que qui per universitatem bona acquirunt ad im-  
 pensas funeris ; vel singulari ; inde obligatur ma-  
 ritus vel alius pro quantitate dotis quam recipit.  
 In subsidium ; Vel intuitu *conjunctionis*, quæ vel  
 ex sanguine, vel ex conventione ; & vel individua-  
 consociationis causa, ut in matrimonio, vel prop-  
 ter mutuam fidem ex nexu feudali ; vel *subjectio-*  
*nis*, sola humanitatis consideratione. Inde facile  
 patet i. quod detur contra heredes, sive ad defun-  
 ti bona veniant ex justa ipsius voluntate, sive ex  
 presumta, secundum modum per Novell. 118. in  
 successione determinatum, imo licet ultimum ju-  
 dicium impugnando contra ipsius voluntatem ad  
 successionem veniant. Sic qui evertit per quere-  
 lam inofficiosi testamentum, tenetur de impensis;  
 nam

nam & hic heres est & succedit ab intestato. l. 8. §.  
 16. d. querel. inoff. l. 15. §. 2. versu quia audimus, eod.  
 Ethoc est expresse decisum in Patrono, qui bonorum successionem obtinuit contra Tabulas l. 15. ff.  
 d. relig. & sunt. fun. cum ad sumtus, qui propter  
 onera hereditatis justi fiunt, teneatur l. 6. §. 1. ff. se  
 poss. hered. petita. Cæterum quod heredes atti-  
 ner, qui cum beneficio inventarii hereditatem adi-  
 erunt, hactenus saltem tenentur, quatenus ad ip-  
 sos pervenit non ultra (nisi fortasse ex alio princi-  
 pio, quod curam totius sepulturæ ipsis imponat,  
 ad refusionem omnium sumtuum obligentur) nec  
 enim facit confessio inventarii, ut non sit heres,  
 sed ut ultra vires hereditatis non teneatur. *Mev. 2.*  
 d. 357. n. 12. Sane re integra & nondum confusa  
 hereditate cum bonis heredis, ipsi integrum est, bo-  
 na hereditaria cedere creditoribus, adeo, ut per  
 istam cessionem omnino liberetur. *Carpz. P.I.D.*  
 25. per tot. Facta tamen semel electione, quod  
 bona velit retinere, adeo se facit debitorem, ut  
 amplius pœnitere non licet, & quandoque casus  
 fortuitus in rebus hereditariis eveniens ipsi impu-  
 tetur, late *Mev. 2. D. 357.* Patet 2. quod hæc actio  
 detur contra patrem. Et quidem cum in peculio  
 castrensi & quasi filiusfamilias heredem possit ha-

C                    bere

bere (patre nec posteriori casu querelam habente  
*l. ult. C. de inoff. test.* quam per *Novell. 123. c. 9.* non  
 correctam esse putamus, vid. *Brunnem. d. l. ult. C.*  
*d. inoff. testam.*) in bonis autem filii emancipat lex  
*Anastasiana*, jura fratribus legitima servaret *l. 13.*  
*C. de legit. hered.* hactenus saltem tenetur pater,  
 quando vel peculium filius famil. non habet, vel  
 heres ipsius non erit solvendo, quippe cui præ pa-  
 tre onus hoc *incumbit l. 31. t. b.* ibique *Faber in Ra-*  
*tional.* Jure novissimo cum parentes in bonis li-  
 berorum defunctorum una cum fratribus & soro-  
 ribus germanis, jure vero Saxonico soli succedant,  
 vel pro rata, vel in solidum obligantur. Quid  
 vero dicendum, si parentes defunctorum libero-  
 rum heredes non existunt an teneantur? Utique,  
 non quidem secundum ordinem succedendi, sed  
 secundum ordinem, quoad alimenta obligantur.  
 Hinc præ matre tenetur pater, cuius est liberos ale-  
 re, adeo, ut ad instantiam matris Judicis officio  
 ad hoc cogi possit. *Brunn. ad l. 3. § 4. C. de alend.*  
*liber.* Etiam si filius bona sua luxu consumserit  
*Dn. Struv. Ex. 30. th. 76.* & quanquam ingrati non  
 sint alendi, funerandi tamen omnino erunt, nec  
 neglectum à liberis pietatis officium faciet cessare  
 patris pietatem. Sic ad sumptus in funus spuriis fa-

Etos

Etos tenetur pater : tenebatur enim ad alimenta,  
*Gail. Obs. 26. c. 88.* quo nomine quoque veniunt  
 medicamenta & sumptus funerum. *Rennemann. P.*  
 3. *Jurisprud. D. 39. th. 8.* Post patrem avumque  
 paternum, sequitur mater & avus maternus, qui  
 cum debeant alere *Sand. l. 2. d. 8.* tenentur ad sum-  
 tus funeris. Hæc quidem obtinent, quando mor-  
 talitatis ordo turbatur. Cæterum & liberos ad  
 hanc pietatem non minori naturæ vinculo obstrin-  
 gi, facile constat, cum ad alimenta juxta parentum  
 dignitatem præstanda obligentur. *Brunn. ad l. 1. C.*  
*de alend. liber. & parent.* De collateralibus non  
 videtur adeo expeditum esse, Sane frater & so-  
 ror, quandoquidem egenum fratrem ex pietate a-  
 lere debent, si ipsi habeant unde vivant. *Sand. l. al-*  
*legat.* utique huic oneri erunt suppositi. Idem di-  
 cendum de fratre uterino. Nec facit *l. 12. §. 3. ff.*  
*de administ. & periculo tutor.* Nam argumentum  
 àdote ad alimenta negative non semper procedit.  
 De remotioribus cognatis illud vix tuto asseri pot-  
 erit, v. g. de patruis, avunculis aliisve personis si-  
 mili respectu sibi junctis. Nam nec patruus fra-  
 tris filium alere cogitur. *Sand. loc. sap. alleg.* mul-  
 to minus extendendum erit ad suscepторem è sacro  
 baptisimate *Dn. Struv. Exerc. 30. th. 78.*

C 2

§. X.

§. X. De marito quæritur : an & contra hunc detur actio funeraria ? In qua quæstione decidenda per varias distinctiones incedere oportet. Velenim maritus dissoluto matrimonio nihil percipit ex bonis uxoris, vel dotem lucratur, priori casu, licet dos in matrimonio mulieris fuerit soluta, quod nonnullis casibus ei facere legibus permisum est l. 27. §. 1. ff. b. t. non tenetur. Hinc si mulier fructuaria usumfructum in dotem dederit, & ea in matrimonio decidente, ususfructus cum proprietate consolidatus sit, maritus non tenetur quicquam in funus conferre, quippe qui nihil emolumenti ob dotem habere videtur : quia etiæ uxorem eam non duxisset, fructuariæ morte finitus ususfructus ad proprietatem rediret l. 78. pr. ff. d. fur. dot. Potius ille convenientius, ad quem dos redit, etiam si sit extraneus, qui hac lege eam deridit pro muliere, ut ad ipsum rediret, si in matrimonio mortua esset l. 22. pr. inf. ff. b. t. In subsidium vero obligatur maritus, ob honorem transacti matrimonii, si forte heres mulieris neque habeat, neque pater solvendo sit l. 28. ff. quamquam cum eo recte agitur, antequam dos patri reddatur, adeo ut antequā pater dotem recuperaverit, virsus sit convenientius l. 17. ff. b. t. quippe apud quem dos

dos est & quidem jure dominii, quo usque patri  
 non est restituta. *Fab. in Rational. ad d. l. 17.* Ut  
 tamen maritus minus postea patri restituat *d. l. 17.*  
*l. 29. §. 1. ff. b. t.* Posteriori casu videndum, an  
 legibus ob pœnam divortii, an vero ex morte mu-  
 lioris propter pacta dotalia dotem lucretur. Illo  
 casu funeris impensam non præstat *l. 29. ff. b. t.*  
 (quæ lex moribus non male fortasse poterit appli-  
 cari ad casum, quo ob adulterium maritus dotem  
 lucratur) posteriori videndum an alia bona præter  
 dotem relinquat, tunc enim heres & maritus, pro  
 portione tenentur. *l. 22. 30. §. 1. b. t.* non obstante  
*l. 15. ff. b. t.* Hinc impensæ in uxoris defunctæ ex-  
 equiis factæ conjunctim tam à marito superstite,  
 quam heredibus, pro rata tamen solvendæ sunt.  
*Carpz. P. 3. C. 25. Defin. 19.* Sic si in dote centum  
 sint, in hereditate ducenta, duas partes heres, unam  
 maritus confert *l. 23. ff. b. t.* adeo ut ab herede nec  
 legata *l. 24. ff. b. t.* nec precia manumissorum, nec  
 æ alienum deduci possit, scil. in commodum he-  
 redis, alias vero reliqua mulieris hereditate vix æri  
 alieno sufficiente, potius ex dote tantum eam fune-  
 rari oportet *l. 20. §. 2. ff. b. t.* ut hoc modo credito-  
 ribus consulatur; aut non alia bona reliquit quam  
 dotalia: quæ si sufficiunt in funus, maritus fune-

C 3.

ratio

rraria convenietur, pater autem non. l. 20. §. 1. ff. b.  
t. adeo, ut si forte pater quid in funus filiae impen-  
dit, aut alio agente secum funeratia, id ipse à ma-  
rito recipiat, & quidem, si dos patri restituenda  
est, hanc impensam statim pater consequitur. l. 30.  
pr. licet reliquum dotis statuto demum tempore  
solvendum sit l. 60. soluto matrimonio. Si vero  
permodica fuit dos, in patrem in superfluum debet  
actio dari. l. 20. §. ff. b. t.

§. XI. Dominum quod attinet, contra  
hunc funerariam actionem habet, qui servum alien-  
um vel ancillam funeravit l. 31. §. 1. ff. b. t. Este-  
nim hoc onus quedammodo humanæ conditio-  
nis l. 27. in fin. d. condit. Institut. Hinc cum ipsis  
sepultura debeat, à nemine alio ipsis poterit de-  
beri, nisi à domino Fab. in rational. add. l. Hinc  
funis servi est æs alienum domini, quamvis hoc  
caſtu actio de peculio non competit. Moribus,  
cum liberorum hominum opera utimur, vix aliter  
poterit conveniri dominus, quam ratione merce-  
dis, quam forte adhuc debet.

§. XII. Succellores feudales, quandoque  
ad impensas in funis defuncti factas obstrieti sunt.  
Hinc cum ex feudo alimenta iis personis debean-  
tur, quæ tanquam minus perfectæ à feudi successi-  
one

one arcentur *Carpzov.* P. 2. C. 46. d. 28. quis hoc  
casu successores feudales ab onere funerandi libe-  
ros pronunciaret? Sic filia, antequam in matri-  
monium elocaretur defuncta, si aliunde non ha-  
bet, ut more honesto sepeliri queat, vel solum æ-  
quitatis, ne dum pietatis officium successores feu-  
di ad impensas in exequias faciendas obstringit.  
Juxta tradita *Carpz.* P. 2. C. 46. d. 2. & quanquam  
ipse d. C. d. 36. velit, quod ad impensas funebres in  
exequias Vasalli defuncti factas reddendas nullo  
jure inviti cogi possint, eo, quod sit debitum per-  
sonale, solos heredes allodiales ad ejus exsolutionem  
obligans: Tamen æquior longe est senten-  
tia Magnifici *Dn. Struv.* in *Syntagm. Feud.* a. 20.  
ob lummam æquitatem & causæ favorem, ne de-  
functus sine quadam ejus injuria insepultus jaceat,  
deficientibus bonis allodialibus feudi successores  
ad impensas suppeditandas obstringentis, quam  
præjudicio quoque confirmat. Denique omni-  
bus aliis deficientibus, quibus hoc onus incumbit,  
vel non existentibus solvendo, nec ipso funerato  
quicquam in bonis relinquente, cum impensæ ex  
publico sumi debeant, contra Magistratum dabi-  
tur actio funeralia ei, qui forte impensas fecit. E-  
leganter *Mev.* 2. decif. 222. num. 7. si bona defuncti  
non

non adsunt, creditoribus patris onus illud injungi non magis potest, quam aliquis cogi, ut pauperem suo sumtu funeret. Publica tunc succedit pietas. Hinc facilis responsio est ad quæstionem, quis infantem expositum funerare debeat? Nec enim hoc onus recte imponitur universitati, ubi expositus, quamvis onus alendi ei velit imponere *Sand. l. 2. d. 8. th. 4.* A qua sententia merito reddit *Carpz. in Criminalibus*: potius pertinet ad eum, cui in loco competit *Jurisdictio*, indeque hujus erit providere suis sumtibus de sepultura.

§. XII. Venit autem in hanc actionem omnis sumtus funeris causa factus, sine quo funus duci non potuit *l. 37. pr. ff. de relig. & sumt. in qua continetur (1)* quod ungventorum causa erogatum est, scil. secundum mores Romanos, quibus ungvebantur corpora. Hinc quod servus in odores & ungventa impendit & ad funus erogavit, quod ad dominum pertinebat, videtur in rem domini versum *l. 7. §. 3. ff. d. in rem vers.* Quamvis creditori funeralia actio h. c. non competeteret, si non ipse in funus pecuniam impendisset, sed, cum servo creditit, licet in eam causam, necessaria est ei actio de in rem verso. Agit enim ex contractu servi *l. 41. de pecul. Faber in Rat. ad d. l. 7. §. 3. ff. de in*

*in rem verso.* (2) Si quid in locum fuerit eroga-  
tum, in quem mortuus infertur: necessario enim  
locus parandus, in quo corpora condantur, cum  
alias funus duci non possit. 3. Si qua vestigalia  
sunt, i. e. quæ in itinere præstantur, dum corpus ex  
uno loco in alium transfertur. *Cujac. II. Obs. 21.*  
quæ tandem sublata esse testatur *l. ult. C. b. tit.* Huc  
quoque pertinet illa impensa, quæ facta est, ut  
corpus peregre mortuum perferretur *l. 14. §. 3. ff.*  
*b. t. add. l. 112. §. pen. ff. de condit.* & demonstrat.  
Multo magis ea quæ erogata est in delationem  
mortui *l. 14. §. 3. ff. b. t. ibique Gothofred.* 4. Sar-  
cophagi, quo nomine intelligitur sepulchrum ex  
lapide fissili, corpora celerrime, quadragesimo  
scil. die consumente, qui in Trojade plurimis locis  
nascebatur. *Gothofred. ad l. 18. §. ult. d. alim. & cib.*  
*leg.* cui contrarius est chernites lapis, qui cadavera  
à putredine vindicat, uti ex Plinio explicat *Gotho-*  
*fred. ad l. 37. pr. de relig.* & sunt. *funer.* Nobis  
tamen vulgari locutione Sarcophagum est sepul-  
chrum quodlibet *Faber in Ration.* & d. *l. 37. pr.*  
5. Vectura, Græci videntur legisse vestiaria, non  
vectura, *Cujac. I. obs. 21.* Solebant enim cada-  
vera honestissima veste efferri, quæ in plebis fune-  
re vulgata, in Magistratibus toga prætexta, in Cen-  
sori-

soribus purpurea tota *Gothofred. adl. 14. §. 4.* Et  
 hæc simul cum mortuo cremabatur, quamvis inc-  
 ptæ defunctorum voluntates uti generaliter circa  
 sepulturam, ita nec hoc casu, si modus excedeba-  
 tur, valerent. *vid. l. 113. d. legat. r. l. ult. in f. ff. d.*  
*aur. & arg. leg.* Sane de Jure Civili vestes lugu-  
 bres, quæ proximioribus cognatis, funus comitan-  
 tibus dari solent, sub impensa funeris non conti-  
 nentur. 6. Denique generaliter dicit *J. Cetus ad l.*  
*37.* quicquid corporis causa antequam sepeliatur,  
 conlumentum est, funeris impensa est, quod clarius  
 proponitur in *l. 14. b. §. 4. b. t. v. gr.* Si quid ad cor-  
 pus custodiendum vel etiam commendandum fa-  
 ctum est: Alii legunt commendandum quasi idem  
 esset ac *lavare & abluerre.* Quam lectionem re-  
 probat *Cujac. 2. obs. 17.* nam ut corpus mortuum  
 commendetur rarius est, & à ditionibus & politi-  
 oribus duntaxat observatum, *Fab. in Rat. ad d. l.*  
 Interim *Cujac. l. alleg.* verbum commendare, nec  
 ad nærias nec præficarum laudationes referri posse  
 putat, cum his non corpus, i. e. cadaver mortui,  
 verum vir ante jam defunctus commendetur: Ve-  
 riū esse ait, verbum commendare eo in loco nihil  
 aliud esse quam deponere, quoad justæ sepultura  
 tradatur *arg. l. 24. ff. deposit.* Ut paucis contra-  
 hantur,

hantur, quæ hactenus dicta sunt, in actionem funerariam de jure Civ. veniunt sumptus funeris causa facti, veluti ad pompam exequiarum, ad elationem corporis, ad locum sepulchri, ad perferendum corpus hominis peregre mortui, ad custodiendum & commendandum corpus. *Cujac. 2. Obs.*

17. Ubi quoque de circumportationibus, quam impensam, licet *leg. XII. tabul.* sublata esset, quando tamen populus eam receperit, funeris esse statuit? non secus ac unctura est, quæ quidem erat prohibita, populus tamen ab ea non abstinebat. Sane expensæ in curationem ægroti factæ, de Jure Civ. hic non pertinent.

§. XIII. Moribus nostris impensarum funebrium nomine continentur, quæcunque corporis causa erogata fuere, scilicet secundum consuetudinem loci, ubi quis mortuus, & dignitatem & facultates ejus erogare oportuit. *Gars. d. Expens.*

*c. 8. n. 2.* Facit hic omnino lex 14. §. 6. vers. aequif. b. t. Sic i. venit pretium, quod pro sepulchris in templo vel coemiteriis dare oportet & citra Simonia crimen accipi potest. *Carpz. l. 2. Jurispr. Conf. tit. 24. def. 39.* 2. Honorarium quod ministris Ecclesiae & Icholæ pro deductione funeris, item quod pro concione funebri præstandum est.

D 2

*Carp-*

*Carpzov. in Jurispr. Consist. l. 1. def. 112. & seq.*  
 (3) Quicquid in ipsum corpus custodiendum, vel  
 commendandum, vel vestem collocandam ne-  
 cessario impensum est l. 14. §. 4. ff. b. t. (4) Sum-  
 tus in ægröti curationem facti, quibus etiam sala-  
 ria Chirurgorum accensentur. *Carpzov. Jurispr.*  
*Forens. P. I. Constit. 28. def. 43. Surd. decis. 255. n.*  
*25.* (5) Vester lugubres, quæ debentur viduæ  
 mariti. *Mev. 6. decis. 242.* Item quæ liberis & fa-  
 miliæ debentur. *Surd. decis. 255. num. 28.* Impen-  
 sæ lugubres puta fasciæ fericæ, quæ proximis co-  
 gnatis funus comitantibus dari solent. *Habn. ad*  
*VVesenb. hic num. 6.* Item quæ in defunctorum  
 convivia paranda, coemta sunt. *Carpz. d. l. def. 41.*  
 Et hæc quidem, si consuetudine loci ita servetur,  
 vel defuncti dignitas singulariter expolcat. *Habn.*  
*ad VVesenb. b. n. 6. Conf. Joseph. Ludov. p. 2. d. 78.*  
 Sane hæc omnia. Judicis arbitrio ejusdemque dis-  
 crectioni committuntur. *Carpz. d. l. def. 42. num. 2.*  
 Et præprimis modus observandus est, non quar-  
 tum testator voluit, si damnum alteri immineat.  
*l. i. §. d. impens. ad L. Falcid.* Nec enim debitoris  
 dispositione de sumtibus immodicis præjudicari  
 potest reliquis creditoribus. *Carpz. l. all.*

§. XIV. Cæterum quod de lugubribus ve-  
 stibus

stibus dictum est, quod eæ debeantur viduis, tum quidem expeditum est, quando defunctus non fuit obæratus. Hinc si multum fuerit ære alieno gravatus, licet vestes lugubres præstandæ sint, quippe, quæ debeantur, si vel animam maritus debeat *Mev. 6. def. 242. num. 3.* tum ob pietatem, quæ est in honesta sepultura, tum ob utilitatem, ne cadavera maneant insepulta, magni pretii vestes non poterunt exigi, sed habenda omnino ratio facultatum & pro harum modo Judex impensam moderabitur. *Mev. d. l.* Sane si tempore obitus & sepulchralium mariti propriis vestimentis contenta, nihil ultra in lugubria impendit, in concursu creditorum ea, quæ alias viduæ isto loco præstanti solent, male petit. *Mev. 6. d. 243.* Tum enim debentur, si vel ex bonis mariti summis, vel de suo comparavit, cum protestatione tamen de repetitione reservanda, vel ab alio viduæ data sunt, & in creditum versa.

§. XV. Quod fundamentum, naturam, aliasve qualitates actionis nostræ attinet. Scendum (1) quod Dd. fere eam statuant personalem, quasi ex contractu, multo magis quam negotiorum gestorum *Oldend. de act. Claff. 5. act. 17. Hahn. ad VVesenb. hic num. 7. eam vocat adjæctiām qualita-*

litatem quasi contractus negotiorum gestorum  
*Colleg. Argent. b. tb. 18.* ipsam deducit ex quasi con-  
 tractu, cum hic quasi non cum herede, sed cum  
 deuncto contrahere videatur. Sic *Fab. in Ratio-*  
*nal. ad l. 1. §. 2. b. t.* Nascitur, inquit, haec actio;  
 ut videtur, ex quasi contractu non minus quam a-  
 ctio negotiorum gestorum *l. 5. pr. de O. & A.* sed  
 ita tamen, ut qui funerat non tam cum herede, qui  
 fortasse adhuc nullus est, quam cum defuncto ip-  
 so contrahere intelligatur. Contrahit autem cum  
 hereditate & proinde cum defuncto, cuius locum  
 hereditas tenet. Dici fortasse possit, quod licet  
 factum aliquod obligatorium subesse, & haec tenus  
 hoc negotium cum quasi contractibus coincidere  
 videatur, tamen ex facto illo non immediate actio  
 descendat, sed potius ita à Prætore, qui quidem  
 ipsam funerationem relpexit, data atque formata  
 fuerit, uti æquum & bonum visum. Sane haec est  
 natura actionum ex quasi contractu profluentium,  
 ut unam personam, cuius negotium principaliter  
 subest, respiciant, quale quid de hac actione dici  
 non potest. Sic datur contra maritum, qui dotem  
 possidet *l. 17. ff. b. t.* hanc patri *l. m.* extraneo resti-  
 tutam comitatur. *l. 16. ff. eod.* Si personalis, si ex  
 facto obligatorio, si ex quasi contractu, cur dote  
 redditia

reddita contra patrem? cur si hic non solvendo,  
rursus contra maritum? Certissimum hoc argu-  
mentum est, eam non mere personalem nec ex  
quasi contractu esse. Ipse Faber in *Rational. ad l.*

<sup>14.</sup> §. hæc actio quæ funeraria. largitur eam non na-  
sci ex contractu vel quasi præfertim si sumitus fune-  
ris factus sit ante aditam hereditatem. Facit huc  
<sup>l. 14. §. 13.</sup> ubi JCtus generaliter putat, judicem ju-  
stum non meram negotiorum gestorum actio-  
nem imitari, sed solam æquitatem sequi. Præte-  
rea Dd. non convenient in qualitate actionis.  
Communiter eam venditant pro actione b. f. Hah-  
nius ad *V Vesemb. n. 6.* per *l. 14. §. 6. ff.* hic. ubi hæc  
actio, quæ funeraria dicitur, ex bono & æquo ori-  
tur. Idem statuit *Colleg. Argent. b. tb. 30. num. 2.*

(1) Quia Judex in ea datus est arbiter *l. 14. §. 7. vers.*  
Igitur estimandum erit arbitro. b. qui cognoscit de  
æQUITATE *l. 14. §. 10. b.* ex æquo & bono *l. 14. 6. b.*  
(2) Quod imitetur actionem negotiorum gesto-  
rum *arg. l. 14. §. 16. b.* & *l. 25. de negot. gest.* (3) Quod  
videatur esse species actionis negotiorum gesto-  
rum *l. 14. §. 16. b.* Alii negant, non obstante quod  
dicatur esse ex æquo & bono: cum diversum sit,  
actionem esse bonæ fidei & actionem nauci ex æ-  
quo & bono, i. e. suggestente æQUITATE. Priori  
cau-

casu bona fides opponitur stricto juri. Posteriori  
ri malæ fidei & dolo malo, ut in l. 4. d. obl. & all.  
l. 11. in fin. d. dolo. (Et haec tenus actio nostra ad  
exclusionem malæ fidei & dolii dicitur bona fidei,  
cum non potest plus repeti, quam revera impen-  
sum, quandoque si modus excedatur animo one-  
randi hereditatem, ne hoc quidem semper, ut ita  
ubique æquitas & bona fides attendatur: Imo  
cum hoc modo considerata bona fides, in strictis  
etiam judiciis quandoque locum habeat, ut in l.  
38. §. si actionem ff. de usur. Alio adhuc sensu por-  
erit dici bona fidei, quatenus haec solutior est & in  
aliis actionibus, quæ ex æquo & bono nascuntur  
locum habet, conferatur omnino *Faber in Ration.*  
*ad l. 14. §. 14. ff. b.t.*) Ibi datur Judici potestas ex  
æquo & bono judicandi, non etiam hic. Sic sen-  
tiunt Zœf. b. t. n. 9. *Faber in Ration.* *ad l. 14. §. 6. b.t.*  
Quorum sententiae & nos ad stipulamur, quamvis  
cum *Fabro l. all.* facile admittamus, quod easdem  
præstationes cum actionibus bona fidei habeat,  
v. g. circa usuras, interesse aliasve accensiones, qua-  
les in actionibus bona fidei attenduntur, non tam  
quod sint bona fidei, quam quod in iis ratio potis-  
simum æquitatis habeatur, *l. 31. ff. depositi.*

§. XVI. Cæterum haec actio valde privi-  
legiata

legiata est, nam impensa funeris semper ex hereditate deducitur, quæ etiam omne creditum solet præcedere, cum bona solvendo non sunt l. 45. ff. b. t. Et quidem hoc extra controversiam positum est, tam quoad credita chirographaria, quam ea, in quorum securitatem lex hypothecas tacitas introduxit, textus expressius est, in l. 14. §. 1. ff. b. t. An vero creditoribus etiam expressam anteriorem habentibus præferatur, non omni dubio caret. Negant plurimi quos adducit & sequitur *Vincent de Franchis* decif. 51. num. 1. 7. (1) Ob communis Juris regulas, nam quiprior tempore, potior jure l. 4. & pass. C. qui potiores in pignor. (2) Ob leg. 9. C. eod. quæ ait, eos, qui acceperunt pignora cum in rem actionem habeant, privilegiis omnibus, quæ personalibus actionibus competunt præferti. (3) Quod Juris ratio vix videatur admittere, ut creditor, qui tam diligenter sibi prospexit, ut melius non potuerit, damno afficiatur. l. 3. ff. de Separat. Faciunt cum iis *Pistor. Negusant.* & alii allegati à Berlichio Part. I. Concl. 64. n. 86. qui ad leges in contrarium ab ipsis adductas respondent, quod cum generaliter loquantur, intelligendæ sint de creditoribus, vel personalem actionem, vel hypothecam tacitam habentibus, ut evitetur absurdum.

E

surdum:

surdum. Verum pro affirmativa stant majoris  
 momenti rationes, quam ut ab iis recedi possit (1)  
 enim leges generaliter loquuntur, notabilis textus  
 est in l. 45. ff. b. t. Impensa funeris semper ex he-  
 reditate deducitur, quæ etiam omne creditum so-  
 let præcedere. Qui vero dicit omne, nihil exclu-  
 dit, præprimis si particula semper vel alia similis  
 adjiciatur. (2) Impensa funeris doti præfertur. l.  
 18 ff. b. t. Hæc hypothecæ expressæ. l. final. C. qui  
 potior in pignor. Ergo illa quoque necessario po-  
 steriori Berlich. P. 1. conclus. 64. num. 86. (3) Fa-  
 cit huc l. 14. §. 1. ubi non saltem de inquilino, sed  
 etiam colono agitur, cuius tamen bona non sunt  
 pignori obnoxia, nisi per expressam conventio-  
 nem, nec tamen dubitat Jctus, quin impensa fu-  
 neris præ solutione mercedis in ejusmodi rebus  
 potior esse debeat. Conferatur Surd. Decis. 112.  
 præprimis d. 255, ubi plures rationes & sufficien-  
 simas Responsiones ad contraria assert. Et hæc  
 affirmativa in foro quoque Saxonico recepta est.  
 Carpz. 1. C. 28. d. 39 n. 6. Imo hoc extendit Fab.  
 in Rational. add. l. 45. ff. etiamsi inter debitorem &  
 creditorem expressam hypothecam habentem  
 convenitum, ut si debitor non solvendo moriatur,  
 creditum impensam funeris præcedat, non valere  
 con-

conventionem, tanquam initam contrā bōnos  
mōres, utilitatem publicam & honestatē.

§. XVII. Extenditur hoc jus prælationis,  
etiam quoad creditores expressam anteriorem hy-  
potecam habentes, *Carpzov. Part. I. 28. 43.* ad  
lumitus in curationem factos, v. g. salaria Medico-  
rum, Chirurgorum & aliorum, *Berlich. Part. I.*  
*C. 64. num. 96.* modo ex ista infirmitate defunctus  
decesserit, *Surd. d. 255. num. 26.* (nam qui ante in  
alium morbum facti sunt, hoc privilegio non gau-  
dent, *Berl. I. alleg. n. 98. & seq.* ubi obstantibus sa-  
tisfacit *Carpzov. P. I. Conſt. 28. d. 45.*) Nec facit,  
quod pro iis non detur actio funeraria, quæ com-  
petit saltem ob impensas circa ipsum funus factas :  
nam datur ob eas petitio non minus favorabilis  
quam est causa funeris, ut eleganter loquitur *Surd.*  
*I. all. adeo,* ut hæc repetitio locum habeat, licet et-  
iam invito ægroti impensæ factæ fuerint. *Brunn.*  
*ad I. 3. C. b.* Et quidem hoc privilegium ex jure  
civili esse volunt *I. 4. C. d. hered. petit. I. 3. C. de religi-  
os. & sumt. funer.* cum expensæ funebres cum ex-  
pensis in curam ægroti factis conjungantur, ut ta-  
men illis funebribus, hæc in curam factæ postpo-  
nuntur. Verum rectius consuetudini imputatur  
*Brunn. ad I. 3. C. de religios.* ubi dissentientibus latis-  
facit.

§. XIX. Melius fortasse ex jure civili poterit probari, quod ob expensas in funus liberorum debitoris competit jus prælationis : videndum tamen, an ab ipso patre factæ sint, tum hoc jure gaudent, per l. 17. ff. d. rebus auth. jud. poss. ibique Bartolus : an post patris mortem creditum proprietaria contractum, & tum vel heredes ejus sunt vel non : priori casu patris debitoris jure fruuntur ; posteriori, si quid prætendant ex bonis paternis, ex iis funeratio fit, & pro eo creditum eodem ordine locandum, quo liberorum creditum : si nihil juris est funerato in bonis patris, non quicquam à creditoribus, quam quod ex pietate concedere velint, peti potest. Ita Mev. 2. decis. 221. Sane jure Saxonico, impensæ quæ in sepulturam conjugis & liberorum ante defunctorum fuere erogatæ, hac prærogativa non gaudent. Carpz. P. 1. C. 28. d. 40. multo minus ex quæ in curationem uxoris & liberorum debitoris factæ, Id. d. def. 44. Illud sciendum, quod hoc privilegium non tantum funerariæ actioni competit, verum etiam cuivis alii, qualius funeris repetuntur. l. 17. pr. ff. d. rebus auth. jud. poss. etiam actioni ex stipulatu, si non abjiciendi privilegii causa stipulatus quis sit d. l. 17. in fin. pr. C. A. d. religios. tb. 30. n. 3.

§. XIX.

§. XIX. Cæterum quæ hactenus de jure  
prælationis pro impensis funerum dicta sunt, tunc  
demum procedunt, quando revera factas esse con-  
stat, cuius rei probatio repetenti omnino incum-  
bit. l. 4. C. de hered. petit. l. 3. C. d. religios. & qui-  
dem aliter quando ipse creditor eas fecit, aliter ter-  
tio qui in eam causam pecuniam credidit. vid. Mev.  
2.2. decif. 223. Illum præcise designare & proba-  
re oportet, quid, quantumque & in quam causam  
impensum fuerit, ut constare possit, an bona fide,  
nec superflue impensa facta sit: Nec enim certæ  
eiusdam quantitatis expressio ullo modo sufficit.  
Ipsa tamen probatio potest fieri per verosimiles  
conjecturas, quæ arbitrio boni viri, puta judicis,  
relinquuntur. Berlich. P. 1. concl. 64. n. 92. & qui-  
dem in impensis in curationem ægroti factis suffi-  
cit probare, infirmum in repetentis domo fuisse  
curatum & alimentatum, tunc enim præsumitur  
inhabitantis pecunia factum esse. Berlich. l. all. n.  
103. vel cessantibus conjecturis verosimilibus aliis-  
que probationibus, juramento ejus qui eas fecit  
probari possunt. Mafcard. d. probat. vol. 2. concl.  
720. per tot. Carpz. P. 1. C. 28. d. 42. n. 5. quod pu-  
to procedere si aliunde & certe constet impensas  
esse factas, ut saltem hoc modo quantitas earum

E 3

certa

certa reddatur. Nam per juramentum prius quoque velle probare vix poterit admitti, cum illud ad liquidationem impensarum regulariter, non sufficiat. *Conf. Mev. 7. d. 6.* Quod posteriorem attinet, scil. eum, qui in eam rem pecuniam credidit, probationi pro recipiendo credito satis facit, si generatim ad funerationem se credidisse, versamque esse pecuniam, saltem per conjecturas doceat, nec in eo superfluum demonstretur *Mev. 2. d. 223.*

§. XX. Sane quod modum excedit, non potest repeti. Hinc judici & quidem seculari, ad hunc enim rei istius cognitio pertinet, licet de jure sepeliendi Ecclesiasticus cognoscatur, *Carpz. 1. Respons. 86.* super expensarum moderatione & laxatione arbitrium tribuitur, non tamen omnino liberum, sed ad necessitatem impendii restrictum, quicquid hanc excedit non venit in taxationem. *Mev. 3. d. 44.* super quo si à partibus disputetur, quidnam judicis officium, & quomodo in examine procedendum, eleganter exhibet *Mev. 3. d. 42.* scil. tenetur debitor ad singula designata respondere, quæ rata habeat, quæ disputet, addita contradictionis causa. Judicis tamen est, liquida ab illiquidis separare, & statuere quomodo hæc verificari

cari possint, summarie tamen & ut quam brevis-  
sima via lis expediatur, procedendum. De ex-  
pensis enim judicium summarium est, *Bart. in l.*  
*38. num. 13. ff. d. R. Vind.*

§. XXI. Illud adhuc quæri posset, cuius  
sumtibus controversia super expensis orta discerni  
debeat? quod debitor ad solutionem sumtuum  
non teneatur, pro eo videtur facere (1) quod ipsi  
nihil possit imputari; quippe qui poterit esse pa-  
ratus ad solutionem, modo de expensis certo con-  
stet. (2) Quod litigans litiganti ob malitiam ad  
expensas teneatur, quæ hic nulla subesse potest.  
(3) Quod auctor videatur hoc damnum culpa pro-  
pria incurriere & propterea illud non sentire *l. 203.*  
*d. R. I.* qui sibi imputet, quod vel sese immiscuerit  
re iad le non pertinenti *contra l. 36. ff. de R. J.* vel si  
binon prospexerit de modo statim impensas pro-  
bandi. Quicquid tamen horum sit, putarem ab  
Actore vel ex hereditate, vel ab eo, ad quem funus  
pertinet, impensas litis refundi debere, argumen-  
to eorum, quæ in haud dissimili casu habet. *Mev.*  
*ind. 128. p. 2.* Sane æquitas hoc ivadet, ex qua  
hæc actio datur, & nemini officium debet esse  
damnotum, ne quis duplicitonere vel incommo-  
do gravetur. Potius qui lucrum habet, onus ei  
anne.

annexum contemnere non debet. Ex negotio gesto hoc casu impensa litis possunt repeti, cuius naturam imitatur haec actio. Illud facile largimur, quod si rationes ex facto vel non facto administrantis sint obscurae, intricatae & probationis indigae, hanc quis suis sumtibus facere debeat. *Fab.*  
*in Cod. l. s. t. 31. d. l.*

§. XXII. Contraria restant tractanda, de quibus facile poterit constare ex supra dictis, unum tamen atque alterum adhuc adducemus. Sic cessat actio (1) quando quis aliam actionem habet de funeris impensa consequenda. *l. 14. §. 2. b.* Sic quando coheres sumitus fecit, sufficit ei judicium familiae herciscundae *d. l.* nec enim honorarium actionem debet desiderare is, cui civilis competit. *l. 1. d. publ. in rem act.* Exceptio est in *d. l. 14. §. 12.* Icil. si familiae herciscundae judicio semel actum est, amplius eo agi non potest. *l. 20. §. famil. ff. famil. hercisc.* hinc necessario ad funerariam tanquam subsidiariam configiendum. Si qui sumitus facit ex mandato alterius, non funerariam, sed mandati habet actionem. Exceptio est in *l. 14. §. 15.* Cessat (2) qui non funeris causa, sed alios sumitus fecit. *l. 14. §. 6. l. 37. §. 1. eod.* Cessat (3) si forte in contumeliam defuncti hominis locupletis modis

modis

cus sumtus factus fuerit l. 14. §. 10. ibique *Fab.* in  
*Rat.* ubi habet exceptionem. Cessat (4) qui pie-  
tatis intuitu non animo repetendi sumtus fecit. l. 14.  
§. 7. & seq. b. t. Cessat denique (5) quando ea est  
præscripta, nam cum naturam actionis negotio-  
rum gestorum imitetur, commune quoque acti-  
onum personalium fatum sequitur. l. 36. de præ-  
script. 30. l. 40. ann. Nec facit, quod dicatur per-  
petua l. 31. §. ult. b. Nam & Civiles sunt perpe-  
tuæ, quæ tamen non eo minus præscribuntur.  
Quid vero dicendum, si is, ad quem funus perti-  
net, funerantem prohibeat? Non eo minus con-  
cedi repetitionem dicit *JCTus* in l. 14. §. 13. b. t. nec  
facit, quod negotiorum gestorum actio tali casu  
denegetur; cuius longe alia ratio est, & qui fune-  
rat non tam cum herede quam cum defuncto con-  
trahere intelligitur; est enim hoc debitum heredi-  
tarium l. 1. ff. b. t. præprimis procedit hoc in perso-  
nis, quæ vel ex mandato defuncti, vel ex affectione  
propter sanguinem funerant.

§. XXIII. Affinia quod attinet, ea videre  
licet in *C. A. b. tb. 31.* maximam affinitatem cum ea  
habet actio negotiorum gestorum. Conveniunt  
(1) utraque præatoria est. (2) In utraque ratio ha-  
betur æquitatis. (3) Neutra in rem est l. pen. *C.*

F


de

de negot. gest. (4) Utroque habet pro fundamento factum, ex quo lex admisit actiones. (5) Utroque datur in subsidium, ne in damno versetur, qui pecuniam suam pro re aliena bona fide expendit. (6) Utroque rei persecutoria est, datur heredibus & in heredes. Utroque commitini termino prescribitur. Differunt : (1) Negotiorum gestorum actio est personalis, haec nec realis, nec personalis. (2) Illa est bona fidei haec non tam est bona fidei, quam ex aequo & bono. (3) Illa non datur, quando quis prohibentis & inviti negotia, quamvis utiliter gerit, bene tamen actio funeraria, Denique hoc potest referri Ius retentionis, quod funeranti, si hereditatem possideat, omnino datum est. arg. l. 32. §. 1. ff. nam retentio ordinarium impensas servandi remedium est. l. si fundum ff. d. R. V. l. si necessarios ff. d. pignor. act. Mev. s. decif. 396. num. 1.

Hæc pro temporis ratione & ingenii facultatibus in medium proferre potui, si qua erravi, tuam benignitatem B. L. respicio, qua omnia in meliore partem interpretabitur. DEO Optimo Maximo pro gratia, quam in me immerentem abunde contulit, æternas gratias ago, Numenque illud

Illud venerandum supplex adoro, velit omnes a-  
ctiones meas ita dirigere, ut gloria Nominis  
sui & proximi commodum il-  
larum unicus sit

F I N I S.



17  
110

също и във външната обложка на книга

СИНИ

17

110





Jena, Diss.) 1690 M/2



TA → OL

2. + 15. Stck bisher nur verknüpft

KD17






C.17. num. 14.  
1690, 30 b  
18

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS,  
DE  
**ACTIONE FVNERARIA,**  
LINGVA VERNACVL<sup>A</sup>:

Von denen Leich-, Bestattungs-, Kosten / wer solche abzu-  
tragen verbunden.

PRAESIDE PRORECTORE MAGNIFICO  
IO. PHILIPPO SLEVOG<sup>T</sup>IO, D<sup>r</sup>,  
IVRISQUE ET CIVIL. PRUD. PROF. PVBL. ORD.  
VT SVM<sup>M</sup>OS IN VTROQ<sup>V</sup>E IVRE HONORES AC  
PRIVILEGIA RITE CONSEQVATVR

PVBLICE DISPVTABIT  
IO. NICOLAVS RADEMACHERVS,  
SOLTQVELLA - MARCHICVS,  
ADD. MARTII MD<sup>C</sup> XC.



IENAE,  
REC. PER IO. BERNH. HELLERV<sup>M</sup>, 1744.